



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per  
Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Transactionibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

*Impossibilitas*; cum rei in pactum deductæ commercium per rerum naturam haberi non potest. c. fin. hic.

*Ecclesiæ damnum infertur*; cum quid Ecclesiæ redditibus detrahitur, vel ei gravamen adjicitur, vel aliquod præjudicium sit. c. plerique. 7. eod. c. 42. si quis Laicus. 16. qu. 1.

Cætera pacta, etiam nuda, quæ hæc vitia non incurunt, hoc jure obligant, & ad agendum & excipiendum sunt efficacia; c. 66. quicunque. 12. qu. 2. c. 1. & 2. hic. c. 8. pueræ. 20. qu. 1. c. 23. innocens. 22. qu. 4. c. 30. Eleutherius. 18. qu. 2.

Nisi conditio pacti defecerit; c. per venit. 3. & c. sicut. 29. in fin. de jure jur. Pontifex ex causa à promissione absolverit; ut in c. 2. auctoritatem. c. 3. aliis. & c. 4. nos sanctorum. 15. qu. 6. c. 2. de voto. qui pactum vult impleti, ex sua parte non impleverit. d. c. per venit. d. c. sicut. §. fin. c. quemadmodum. 25. de jure jur.

Derogant etiam pacta Apostolicis privilegiis & indultis in favorem paciscentium & renunciantium; c. ex multiplo. 3. de decimis. c. Clem. dudum. 2. de sepult. nocent tantum paciscentibus, non aliis; c. præterea. 8. de censib. c. veniens. 8. c. de cætero. 5. de transact. nec faciunt præjudicium superioribus.

Semper enim in omni pacto & juramento excepta censetur superioris auctoritas. c. venientes. 19. ea te credimus. 22. de jure jur. c. constitutus. 19. de rescript.

### *De transactionibus.*

#### T I T. VI.

**T**ransactio, est rei dubiæ & litis incertæ, neque finitæ, aliquo dato vel remisso, converta decisio.

Transigere de rebus Ecclesiasticis possunt, qui pacisci, ut Prælati, sed cum consensu Capituli, Superioris. c. contingit. 3. c. de cætero. 5. c. veniens. 8. hic.

Transi-

Transfigi de rebus temporalibus & spiritualibus, de quibus lis est, vel futura esse possit; c. super eo. 7. eod. ita tamen, quoad has, si ut proprietates in litigium deducantur. c. ad quæstiones. 6. de rer. permut. c. statuimus. 2. hic. (Et res propriè amicabiliter componi dicitur. d. c. super eo.) Non si ut pro rebus spiritualibus dentur temporales, c. præterea. 10. c. super eo. 7. eod. aut quidem spirituales, sed ut quis ad beneficium Ecclesiæ recipiatur, vel præferatur. c. ex frequentibus. 3. de instit. c. admonet. 4. de renunc. c. 11. nullus omnino. 16. qu. 7. cum utraque in vitium simoniae recideret. dd. cc.

Habet transactio, hoc jure, similem firmitatem, quam pactum. c. 1. hic.

### *De arbitris.*

#### T I T. V I I.

**A**rbitri hoc loco sunt, qui nullam potestatem in eligentes habentes; consensu litigantium in Iudices eleguntur, in quos compromittitur, ut eorum sententiæ stetur. c. à judicibus. 33. in princ. & §. 1. 2. qu. 6.

Sunt vel Ordinarii Arbitri, vel simpliciter Arbitri, seu Arbitrarii.

Ordinarii sunt, qui potestatem quidem habent judicandi; sed non in eos, qui suæ se jurisdictioni subjiciunt ad judicium accipiendum, eos eligendo. d. c. à judicibus.

Arbitrarii tantum sunt, qui aliunde nullam legitimam potestatem acceperunt, quam à compromittentibus, ad judicandum de quæstione quam inter se habent, eos eligentibus. c. si quis Episcopus. 36. §. arbitrarii tantum. 2. qu. 6. q. pervenit. 3. hic.

Compromittere in Arbitros possunt, qui nominatim non prohibentur, & qui liberam rerum suarum habent administrationem.

Compromitti potest in omnes, qui specialiter non prohib-